



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. II. Sententia negans Christum pro nobis nunc orare in cœlo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA OCTAVA.

De Oratione Christi.

SECTIO PRIMA.

Inquiruntur quadam circa orationem Christi: ubi an pro nobis nunc oret in cælo.

I. Quid sit oratio.



RATIO, ut docet S. Thomas 2.2. quæst. 83. art. 10. est actus inferioris deprecantis superiorem, ut se adjuvet; unde manifestè deducitur, si Christus esset tantum Deus, non posse ipsum orare; Deus enim nec re aliquâ indiget, nec superiorem habet, cui reverentiam exhibeat, quare nec una Persona Divina potest ad alteram orationem dirigere, cum omnes æquales sint, & eodem intellectu, voluntate, & potentiâ operentur.

II. Christum, dum in hac vita mortali versabatur, & pro se & pro nobis orasse certum est.

De humanâ ergo Christi voluntate est sermo, quæ & superiorem habet, & ope indiget. De hoc ergo quæritur primò: Utrum Christus dum cum hominibus in terris versaretur aliquando oraverit. Circa hoc dicimus Christum in hac vita & pro se, & pro nobis verè orasse: Conclusio est communis, & variis Scripturæ sacræ locis probata, Lucæ enim c. 6. v. 12. dicitur: *Exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei;* Lucæ etiam 22. v. 32. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua;* Joan. 17. v. 11. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.*

III. Obiit. Non videtur potuisse Christum mentem de novo ad Deum ascendere.

Dices: Oratio est *ascensio mentis ad Deum;* mens autem Christi non poterat de novo ad Deum ascendere, cum à primo conceptionis instanti fuerit per visionem beatam & amorem semper Deo conjunctissima. S. Thomas hic, art. 1. ad 3. ad hoc argumentum sic respondet, per ipsam visionem beatam potuisse Christum orare, in quantum scilicet per ea quæ vidit in Verbo, moveri potuit ad actus charitatis circa proximos exercendos, & ad aliquid à Deo pro iis postulandum. Secundò dici potest: Christum per novos actus scientiæ infusæ potuisse mentem ad Deum denuo elevare, & res quascumque pro se, aut nobis petere.

IV. Virum Christum pro nobis nunc orare in cælo.

Major difficultas est circa secundum quod hic discuti solet, nempe an Christus pro nobis nunc oret in cælis. Affirmat Suarez Disp. 45. sect. 2. Primò, quia hoc in Scripturâ clarè affirmari videtur, Joan. enim 14. ait Christus discipulis, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis:* ad Rom. 8. *Christus JESVS qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Unde S. Augustinus in præfatione Psalm. 85, sic habet: *Oratur in formâ Dei,*

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

orat in formâ servi, orat pro nobis, orat in nobis; & oratur à nobis, &c. Hanc sententiam tenet S. Bonaventura, Abulensis, Toletus, & alii, apud Suarium citatum, & videtur expressa mens S. Thomæ in 4. Distinctione 15. quæst. 4. art. 6. ad primùm, & alibi.

Rationes pro hac sententiâ sunt primò, quia oratio Christum non dedecet, vel namque cum dedecet ut Deus est, vel ut beatus, non primùm, quia non orat ut Deus, sed ut homo, alioquin nec in terris orasset: nec etiam dedecet secundum, tum quia reliqui Beati pro nobis orant nunc in cælo, tum quia non est impossibilis status impassibilitatis cum oratione. Deinde Christus in cælo alios actus religionis exercet circa Deum; illum enim laudat, gratias agit, &c. quidni ergo & eum pro nobis oret.

V. Actus orationis nullo modo Christum dedecet.

SECTIO SECUNDA.

Sententia negans Christum pro nobis nunc orare in cælo.

CONTRARIUM tenet Vasquez hic, Disp. 82. c. 2. secutus Rupertum, qui acerrimus est in hoc defendendo. Afferunt ergo hi Auctores dici Christum interpellare pro nobis, agere advocatum, &c. non orationes ullas fundendo, sed solùm ostensione vulnerum, & merita sua antiquâ Patri representando: quo etiam modo loquuntur Patres aliqui, ut S. Gregorius, S. Anselmus, & alii: & hæc est prima probatio hujus sententiæ.

I. Negant alii Christum in cælo existentem pro nobis nunc orare.

Respondeo tamen: licet Patres dicant Christum non orare per fervilem corporis prostrationem, & lacrymas, quod dicunt statum beatitudinis dedecere, aliqui tamen ex iis, ut S. Ambrosius, expressè docent eum rogando & obsecrando Patrem interpellare, ergo non merâ ostensione vulnerum, nec sola representatione meritorum præteritorum, nisi aliqua nova oratio addatur. Nonnulli verò ex Patribus solùm negant Christum orare ut Deus est.

II. Quo sensu nonnulli ex SS. Patribus negent Christum pro nobis in cælo orare.

Secundò hoc probat Vasquez: si enim Christus in cælo oraret mereretur, cum omnis oratio videatur meritum aliquod includere, præsertim si sit efficax, & impetret id quod postulat. Respondetur: meritum connotare opus factum in viâ, quæ conditio si desit, esto impetret quod petit non erit meritum, quod à fortiori urget in principiis Vasquez, qui ait, viam esse essentialiter requisitam ad meritum.

III. Dices: Si Christus in cælo oraret, mereretur.

Ff 2

Tertid

IV. Non ita sigillatim omnia ad Ecclesiam pertinentia disposuit in hoc mundo Christus, quin multa etiam iam à peculiari eius cura dependant.

V. Cur in Litanis, & publicis orationibus semper dicimus, Christe miserere nobis, non Ora pro nobis.

Tertio arguit: Christus in hac vita perfecit totum negotium nostrae salutis, ergo non est quod amplius quidquam in caelo postulet. Respondetur: Et si Christus generatim omnia disposuerit in terra, quae spectant ad redemptionem humani generis, constitutionem Ecclesiae, Sacramenta, &c. non tamen ita singula instituit sigillatim, ut non pendeant multa etiamnum à peculiari eius cura, quae de causâ eum dixit Apostolus manere vivum ad interpellandum pro nobis.

Arguitur quarto: Hic siquidem communis videtur sensus Ecclesiae, nunquam enim dicimus in ullis orationibus, Christe ora pro nobis, sed miserere nostri, si autem oraret in caelis, non est cur id dicere non possemus. Respondet Suarez simpliciter non esse usurpandum illum loquendi modum, ut longissime fugiamus errorem Arrii, vel Nestorii, tum etiam quia cum personam aliquam compellamus, solemus titulo eum maxime honorifico compellare. Privatim tamen, inquit ipse, non est cur non possit quis, qui rationes istas distinguere novit, & Christum considerare ut hominem, hoc modo orare, & petere ut aeterno Patri merita sua pro nobis repraesentet,

orationesque nostras cum sua conjungat.

Quinto: Christo post resurrectionem collata est potestas plena disponendi de omnibus; qui autem plenam habet potestatem, non est cur oret ut aliquid fiat, cum in illius manu sit de re quavis pro libito disponere. Respondetur cum Sancto Thoma hic, & quaest. 24. art. 4. ad 3. licet Christo ut homini aliquo modo collata sit amplissima potestas, hanc tamen exercere debuit servato ordine divinae dispositionis, qui est ut Deum honorando, & petendo, merita sua Christus in nos derivet, saltem nihil obstat quo minus potentiam suam hoc modo exercent.

Dicendum itaque videtur, Christum aliquo modo pro nobis in caelis orare, cum concipi alias nequeat quo pacto dicatur pro nobis verè interpellare; nec enim merita sua vel vulnera sine peculiari aliquo actu intellectus aut voluntatis Patri potest ostendere, non tamen orat servili illo modo cum gemitu & suspiriis, ut in terris, sed alio modo nobiliori. Nec arguit defectum potestatis, cum in hoc dici possit habere plenam potestatem, quod de plurimis per se possit disponere, & de omnibus si Patrem oret, quod est habere moralem potestatem circa omnia.

DISPUTATIO QUINQUAGESIMA NONA.

De Subjectione, Sacerdotio, Mediatione, & Regno Christi.

SECTIO PRIMA.

Utrum Christus sit servus, & subiectus Patri.

I. Quae ratio-
ne Christus
sit minor Pa-
tri.

IN Quaestione vigesima tres praecipue voces discutit S. Thomas, quo pacto scilicet Christo conveniant, Minor, Subiectus, Servus. Quoad primum (ut omittam Arrii haeresim dicentis Filium in divinis esse creaturam & consequenter minorem Patre) Clitoveus in Divum Damascenum lib. I. de Fide c. II. ut refert Suarez lib. 3. de Trinitate. cap. 10. asserit Paternitatem secundum perfectionem suam relativam dicere majorem perfectionem quam dicat filiatio formaliter, quo modo aliquos ex Graecis Patribus explicat dicentes Patrem esse majorem Filio, non naturam, sed dignitate Personali, quam proinde inaequalitatem exerceri vult in ipsa entitate Patris & Filii, nec tamen hoc quidquam derogare existimat perfectioni simpliciter, quae consistit in sola natura, eademque in omnibus tribus personis reperitur.

Hæc tamen sententia, cum non ita perfecte II. consulat aequalitati divinarum Personarum, non est admittenda, nam in illo eminentissimo modo communicationis, quo aeternus Pater naturam communicat Filio, non est melius nec beatius dare quam accipere. Solum ergo est minor Christus Patre quoad humanitatem, ut habetur in Symbolo Athanasii, *aequalis Patri secundum divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Unde ad vitandum periculum erroris nunquam est absolute concedenda hæc propositio, *Christus est minor Patre*; imò simpliciter est falsa, cum simpliciter fiat comparatio inter ipsas Personas. Sed de hac latius dictum est in materia de Trinitate.

Quoad secundum de subjectione, notandum subjectionem, de qua hic loquimur, idem esse ac capacitatem præcepti, cui Christum subiectum fuisse supra ostendimus. sive sermo sit de præceptis naturalibus, sive positivis, quorum aliqua Christo à Patre imposita fuisse certum videtur: unde S. Cyrillus in Epistola 10. sic scribit: *Non ignoramus quod cum Deus sit, & homo sub Deo factus sit, secundum legem humanitatis natura competentem. Christus ergo ut homo, & jure & facto subiectus fuit*

III. Subiectus in præceptis idem est ac capacitatis habendi præceptum.